

Richcziczki, Mathia Radeczki subiudice Camenecensi, StanislaŃo Rasko terrarum Russiae et Podoliae, Petro Marczinowski, Petro Goldacz terrae Belzensis, Andrea Lassotha succamerario Lublinensi, StanislaŃo Dzik terrae Lublinensis, Hieronimo Trdzienski terrae Rauensis, Georgio Jezowski, Nicolao Boglowski terrarum Masouiae nuntiis, et aliis quamplurimis dignitariis, officialibus et terrarum nuntiis sincere nobis et fidelibus dilectis. Datum per manus praefati reverendi in Christo patris, domini Samuelis Maczieiowski, episcopi Chelmensis et Regni Poloniae vicecancellarii, sincere nobis dilecti. Sigismundus rex [subscripsit].

VII. LITTERAE REGIAE DE IUDICIIS CELEBRANDIS

Sigismundus, Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masouiaeque etc. dominus et heres. Magnifico Andreae a Gorca castellano Posnaniensi et capitaneo Maioris Poloniae generali, sincere nobis dilecto, gratiam nostram regiam. Magnifice, sincere nobis dilecte! Inter alias reipublicae actiones in praesenti conventu generali habitas, postularunt a nobis debita cum instantia nuntii terrarum Posnaniensis et Calissiensis palatinatum totius nobilitatis, ut illos in usu et veteri observatione iudiciorum castrensiŃum observaremus. Agregeremus, quod quia anno praeterito in comitiis regni Cracouiae habitis ad nonnullorum postulationem nonnihil contra veterem et receptam consuetudinem immutatum esset atque constitutum, videlicet, ut ad tribunal officii castrensis Posnaniensis nullus ex districtibus palatinatus Calissiensis evocaretur, sed ex Posnaniensi palatinatu duntaxat Posnaniam, ex Calissiensi similiter, non habita loci distantia ad Calissiensem tribunalem deberet quisque vocari et iudicio sisti, nude in eo se non mediocriter gravatos esse referebant, si ex Gnesnensi, Pisdrensi et Kezinensi districtibus Calissiam citari et iudicio stare cogerentur. Cum illis tribunal officii castrensis Posnaniensis et usitatum esset et multo in minore distantia, quam tribunal Calissiensis adiaceat. Nos itaque volentes receptam consuetudinem tueri et obviare difficultatibus subditorum nostrorum, de consilio et assensu universi ordinis consiliariorum et nuntiorum terrestrium, ut praesenti conventu nobiscum congregatorum, statuimus et decrevimus, ut posteaquam in utroque palatinatu Posnaniensi videlicet et Calissiensi sit unus generalis capitaneus, cuius auctoritati sicut nulla alia in re ita nec in iurisdictionis administratione derogari volumus; ut deinceps ad tribunal castri Posnaniensis non solum Posnaniensis et castrensis sed Gnesnensis, Pisdrensis et Kezinensis districtibus, tanquam illi tribunali viciniore, iuxta veterem iudiciorum morem deinceps attineant, et istic ad officium sive iudicium castrense, pro quibuscunque causis vel articulis iudicio et officio castrensi attinentes, citati ac evocati parere et in iure respondere teneantur, sine quavis exceptione fori declinatoria, quae praetextu evocationis de districtu in iustitia diffugium obtendebatur, quam in hac parte locum habere nullatenus volumus ad tribunal vero castri Calissiensis ex Calissiensi, Coniensi districtibus sibi vicinis etiam iuxta veterem morem citati. Coram iudicio et officio illo castrensi Calissiensi pro quibuscunque similiter causis vel articulis, iudicio et officio castrensi spectantes, respondere deinceps non praetextendo evocationem de districtu debeant atque teneantur. Quod vero praesentem constitutionem regni contextum aliarum regni constitutionum inscribi non fecimus, consulto id a nobis et ex consiliariorum nostrorum sententia, factum est nempe, quod praesens decretum de iudiciis castrensiŃibus ad hoc duos tantum palatinatus Posnaniensem videlicet et Calissiensem pertineat. Quare mandamus tuae sinceritati, ut praesentem constitutionem regni in locis ad id solitis praeconis voce publicari faciat, ut ad universorum notitiam pervenire possit. Harum quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio ligatum. Datum Cracouiae, feria secunda proxima post dominicam Ramis Palmarum, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo, regni vero nostri anno trigesimo quarto [22 III 1540]. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.